

1 .De- us, De- us me- us, réspi- ce in me : † qua- re me
2 1 ,
de- re- liquí- sti? * longe a sa- lú- te me- a verba de- lictó- rum
me- ó- rum. E u o u a e. *Flexa* : ex ú- te- ro : †

2. Deus meus, clamábo per diem, et *non exáudies*: * et nocte, et non ad insipiéntiam **mihi**.

3. Tu autem in *sancto hábitas*, * laus **Israël**.

4. In te speravérunt *patres nostri*: * speravérunt, et liberásti eos.

5. Ad te clamavérunt, et *salvi facti sunt*: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

6. Ego autem sum vermis, et *non homo*: * oppróbrium hóminum, et abjéctio **plebis**.

7. Omnes vidéntes me *derisérunt* me: * locúti sunt lábiis, et movérunt **caput**.

8. Sperávit in Dómino, *erípiat eum*: * salvum fáciat eum, quóniam vult **eum**.

9. Quóniam tu es, qui extraxísti *me de ventre*: * spes mea ab ubéribus matris **meae**.

10. In te proyéctus sum ex útero: † De ventre matris meae Deus **meus es** tu, * ne discésseris **a** me :

11. Quóniam tribulátio *próxima* est: * quóniam non est qui **adjuvet**.

12. Circumdedérunt me *vítuli multi*: * tauri pingues obsédérunt me.

13. Aperuérunt super *me os suum*, * sicut leo rápiens et **rúgiens**.

14. Sicut *aqua effúsus* sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa **mea**.

15. Factum est cor meum tamquam *cera liquéscens* * in médio ventris **mei**.

16. Aruit tamquam testa virtus mea, † et lingua mea adhaesit fáucibus **meis**: * et in púlverem mortis deduxísti me.

17. Quóniam circumdedérunt me *canes multi*: * concílium malignántium obsédit me.

18. Foderunt manus meas et *pedes meos*: * dinumeravérunt ómnia ossa **mea**.

19. Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: † divisérunt sibi vestiménta **mea**, * et super vestem meam miserunt **sortem**.

20. Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxiliúm *tuum a* me: * ad defensiónem meam **cónspice**.

21. Erue a frámea, Deus, *ánimam meam*: * et de manu canis únicam **meam**.

22. Salva me ex ore *leónis*: * et a córnibus unicórnium humilitátem **meam**.

23. Narrábo nomen tuum frátribus **meis**: * in médio Ecclésiae laudábo te.

24. Qui timétis Dóminum, laudáte **eum**: * univérsum semen Jacob, glorificáte **eum**.

25. Tímeat eum omne *semen Israël*: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecationem **páuperis**.

26. Nec avértit fáciem *suam a* me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

27. Apud te laus mea in ecclésia **magna**: * vota mea reddam in conspéctu timéntium **eum**.

28. Edent páuperes, et saturabúntur: † et laudábunt Dóminum qui *requírun*t **eum**: * vivent corda eórum in saéculum **saéculi**.

29. Reminiscéntur et converténtur *ad Dóminum* * univérsi fines **terrae**.

30. Et adorábunt in conspéctu **eius** * univérsae famíliae **géntium**.

31. Quóniam Dómini *est regnum*: * et ipse dominábitur **géntium**.

32. Manducavérunt et adoravérunt omnes *pingues terrae* : * in conspéctu eius cadent omnes qui descéndunt in **terram**.

33. Et ánima mea *illi vivet*: * et semen meum sérviet **ipsi**.

34. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: † et annuntiábunt caeli justítiam eius pópulo *qui nascétur*, * quem fecit **Dóminus**.